

333

331

337

capellam Graeci in Officiis provident. Ex magna autem ratione
antiqui patres huic sanctissimo templo sancti sepulchri adjun-
ixerunt ecclesiam S. Mariae Magdalene. Nam cum omnes
apostoli hunc desererent locum, et a sepulchro recederent,
ipsa Maria Magdalena sola in horto mansit, circumiens et
quaerens, nec abesse poterat huic loco; qua sedulitate meruit
hic habere oratorium, ut perpetuis temporibus hic honoraretur.
In hac capella dictis praescriptis orationibus et acceptis in-
dulgentiis (†) recessimus ad alia.

327

342

322

382

282

Locus, in quo volebat Abraham offerre filium
suum Isaac.

432

232

Quatuor capellae praefatae stant per circuitum plateae
vel atrii templi sancti sepulchri, et de atrio sine ascensu vel
descensu est introitus in eas, quibus visitatis, ut dictum est,
retraximus nos ad dextrum latus atrii, et ibi per unum ostium
ingressi per obscurum transitum ivimus in veteribus structuris
ita, quod penitus nil videre poteramus, ex eo quod locus erat
obscurus, et nos recenter de splendoribus solis in locum cali-
ginosum ingressi fueramus. In ista caligine processimus per
aliquot passus, et venimus ad gradus lapideos, per quos
sursum ascendimus, et aliquos cellulas ibi reperimus et ca-
merulas, in quibus quidam miseri Christiani orientales habitant,
ad quas pulsavimus, et non nisi unam servulam et nigram
vetulam ibi invenimus, quae, ut nos vidit, reseravit capellam,
propter quam ascenderamus. Est enim capella pulchra, vario
et polito marmore strata, super montem Calvariae sita, ad
latus crucis rupis, extra tamen ecclesiae septa. Haec capella
dicitur in eo loco constructa, in quo Abraham ex pracepto
Domini volebat immolare filium suum Isaac, juxta sententiam
catholicorum doctorum, Jeronymi et Augustini, et etiam Rabi
Judaeorum. Alii tamen dicere volunt, quod in monte Seyr vel
Sardenai prope Damascum sit factum. Caeteri dicunt, quod
in monte Moria, in quo Salomon post ea templum construxit,
sit factum. Sed nostrum dictum magis est catholicum, et
rationi consonum, ut figura et veritas, etiam quoad locum,
convenientiam haberent. Quia, sicut Abraham proprio suo filio

Ende

Anfang

